

8. Quod per aliquot secula hominibus persuasum, illud etiam pro vero est habendum:

Atqui missam esse sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis, per aliquot secula hominibus persuasum fuit:

E. hoc ita sese habere, pro vero habendum est.

Resp. fundamentum probationis æquè dubium ac infirmum est, atq; probatione indiget, ac ipsa conclusio.

### Annotationes.

1. Sic Pontificii quando destituuntur firmis fundamentis, confugiunt ad consensum aliquot seculorum, & ad auctoritatem hujus vel illius viri. Ante annos 800. & quod excurrit, nemo quicquam in Ecclesiâ somniavit de *Transsubstantiatione* h. e. de mutatione substantiæ panis in substantiam corporis Christi. Nemo quicquam somniavit de *adoratione panis*, nec de *circumgestatione* aut de *inclusionem panis*. Sed hi Errores post *Caroli Magni* tempora confirmati sunt. In *concilio Lateranensi* videl. Romæ